



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Vniversis Fidelibvs in obsequium Christi contra Provinciales hæreticos  
certaturis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

E I S D E M.

Epist. 227.  
De eadem re.

**N**E pastoralis provisio diu desit Ecclesia Morinensi, per apostolica vobis scripta mandamus quatenus si adversarij dilecti filij Morinensis electi nequiverint infra spatium triginta dierum intra provinciam vel in vicinis partibus inveniri, vos citationis edicto ad eorum domicilium manifeste transmissio, nihilominus procedatis secundum formam quam in aliis litteris vobis duximus exprimendam, cum jam in ipso negotio usque ad publicationem testium sit processum. Datum Laterani 11. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno undecimo.

EPISCOPO, ET SANCTI PETRI  
& de Securo Abbatis Aniciensibus.

Epist. 228.  
Eis committitur  
causa Canonice  
Bri-  
vacensis.

**L**icet ex injuncto nobis apostolatus officio omnibus paterna sollicitudine teneamur adesse, illis tamen debemus specialiter apostolicum praesidium impertiri qui apostolicam sedem nullo respiciunt mediante. Cum igitur dilecti filij Canonici Brivatensis Ecclesiae, quae ad nos nullo medio noscitur pertinere, frequenter & a multis injurias, damna sustineant & rapinas, cum dioecesanum non habeant ad quem possint recurrere quotiens indubite aggravantur, nos ad supplicationem eorum ipsis duximus providendum. Quocirca discretionem vestram per apostolica scripta mandamus quatenus quotiens ab eisdem fueritis requisiti, de malefactoribus suis in Claromontensi, Anicensi, & Mimateni diocesibus constitutis faciatis eis auctoritate nostra sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo justitiae plenitudinem exhiberi, eosdem ad id monitione praemissa per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo. Quod si non omnes &c. tu, frater Episcopo, cum eorum altero &c. Datum Laterani v. Kalend. Februarij, ut supra.

ILLVSTRI REGI FRANCIAE.

Epist. 229.  
Inducitur ad  
expugnationem  
haereticorum  
Provincialis.

**R**eligiosa fides & fidelis religio, quae in te a progenie in progeniem derivata Christianissimis tuis patribus Christianissimum Principem te substituit, nos inducit ut negotium Ecclesiae Dei, cum expedit, providentiae tuae confidentissime committamus. Cum ergo sit providere cogitatum ut iis qui orthodoxae fidei zelo succensi ad expugnandum Provinciales haereticos se accingunt unus in Capita-

neum deputetur sub cuius unius consilio unanimiter universi procedant, serenitatem regiam rogamus attentius & monemus, in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus eis vel eorum aliquibus, prout expedit, convocatis, aliquem virum strenuum, providum, ac fidelem eis auctoritate regia praeficere non postponas qui praesidium Domini praeliantes sub divino praesidio tuoque vexillo conducatur, hanc pij operis providentiam ita prudenter & hilariter impleturus quod dum omnes ad agonem sanctae pugnae succinxis, in omnium quasi manibus ipse quoque bellari bellum Domini comproberis, ac retributionis eorum efficias te participem quorum certaminis te taliter exhibueris adiutorem; ante omnia & in omnibus sollicitè providendo ut in tanto Dei servitio illam servent & unitatis concordiam & concordiae unitatem quod per astutiam sathanæ, qui operibus pacis invidet, nulla discordia inter ipsos, nulla possit amulatio suboriri, ita strenue, ita caute in hoc negotium cum tuo subsidio & consilio processurus quod illud possint feliciter & salubriter consummare; ne, si secus accideret, quod divinitus avertatur, in quo proficere poterat Ecclesiae causa deficeret, & haeretica pestis unde potuerat aboleri, deterius inoleret. Datum Laterani 11. Non. Februarij, pontificatus nostri anno undecimo.

VNIVERSIS FIDELIBVS  
in obsequium Christi contra Provinciales  
haereticos certaturis.

**B**enedicti vos in Domino qui fecit caelum & terram; quoniam cum committeret draco bellum & Ecclesiam sanctam Dei machinarum suarum molimine conquassaret, apprehendistis arma & scutum, & in ejus adjutorium surrexistis. Quia igitur omnis qui in agone contendit abstinere se ab omnibus ut unum certaminis sui cursum eo melius quod liberius valeat consummare, universitatem vestram rogamus attentius & monemus, per apostolica scripta in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatinus tam arduum & tam sanctum Dei obsequium aggressuri, postpositis omnibus quae hunc vestrum sanctum agonem impedire valent, ante omnia & in omnibus caveatis ut illam servetis & unitatis concordiam &c. sicut supra usque in finem. Eia igitur, potentissimi Christi milites, eia strenuissimi militiae Christianae tyrones. Opponite

Epist. 229.  
De eodem re.  
guntur.

vos Antichristi præambulis, & pugnate cum serpentis antiqui ministris. Pugnastis fortassis hæcenus pro gloria transitoria, pugnate jam pro gloria sempiterna. Pugnastis pro corpore, pugnate pro anima. Pugnastis pro mundo, pugnate pro Deo. Non enim pro præmio qualicumque ad tantum Dei servitium vos hortamur, sed pro regno cælesti, quod vobis ob hoc confidentissimè pollicemur. Datum ut supra.

*UNIVERSIS FIDELIBVS AD obsequium Christi signatis contra Provinciales hæreticos vel signandis tam in regno quàm extra regnum Franciæ constitutis.*

Epist. 211. De præsentibus in apostolica sedis.

**C**um orthodoxæ fidei zelo succensum ad expugnandam hæreticam pravitatem decreveritis proficisci, auctoritate apostolica constituimus ut ex quo vivificæ crucis signum ad expugnandum hæreticos secundum ordinationem Legatorum nostrorum in vestris pectoribus susceperitis, cum personis, terris, possessionibus, hominibus, ac ceteris bonis vestris sub protectione sedis apostolicæ maneat, & donec de vestro reditu vel obitu certissimè cognoscatur, ea omnia in suo statu libera maneat & quæta consistant. Nulli ergo &c. nostræ constitutionis &c. usque in finem. Datum ut in alia.

*REGENSI ET CONSORANENSI Episcopis, & Abbati Cisterciensi, apostolicæ sedis Legatis.*

Epist. 212. De negotio comitatus Melgocensis.

**L**icet nobis jamdudum Comes Tolosanus per suos nuntios supplicaverit ut super comitatu Melgocensi, qui beati Petri juris & proprietatis existit, fidelitatem ab eo recipere dignaremur, ne tamen ipsum hoc modo quasi confirmare videremur eidem, preces suas non duximus admittendas, considerantes hoc ipsum quod tu, fili Abbas, per tuas nobis litteras suggestisti, ut videlicet si fortassis in incepta malitia pertinaciter perduraret, ipso demum eo juxta meritum spoliato, statueremus de ipso quod Ecclesiæ negotio expediret. Quia verò à nobis est sollicitè requisitum qualiter procedendum sit circa comitatum eundem fideli exercitui signatorum, id vobis providimus suadendum, quatinus ad Apostoli dicentis, *Cum esset astutus, dolo vos cepi*, magisterium recurrentes, cum talis dolo prudentia potius sit dicendus, deliberato cum eorundem signatorum prudentioribus opportuno consilio, divilos ab Ecclesiæ unitate Tom. II.

divisim capere studeatis, dummodo videritis quòd ex hoc idem Comes vel alius minus assistere vel per se ipsum minus debeat insanire, non statim incipiatis ab ipso, sed eo primitus arte prudentis dissimulationis eluso, ad extirpandos alios hæreticos transeat, ne si scamis Leviathan sese conjungentibus unà vi fueritis simul omnes aggressi, tanto demum hujusmodi satellites Antichristi difficilius possint conteri quanto pertinacius ipsos in unum conjunctionis vinculum contingeret glomerari. Sic enim & illi facilius sterni poterant remissius adjuti per istum, ac iste illorum interim visâ strage ad cor fortasse redibit, vel si perseveraverit in malitia, tandem contra ipsum & solum & destitutum levius procedatur. Hæc ergo vobis suggerimus ad cautelam. Vos autem, qui rerum circumstantias eò pleniùs quò præfentiùs agnosceatis, sic vel aliter circa singula procedatis quemadmodum tam vobis quàm aliis quorum fuerit utendum consilio de cælo fuerit revelatum, circa præfati Comitis negotium processuri prudenti deliberatione præmissâ, prout ad honorem Dei & utilitatem Ecclesiæ videritis expedire.

*E I S D E M.*

**S**uper negotio signatorum & hæreticorum excidio litteras vobis destinamus ad præsens quales novimus expedire. Monemus ergo discretionem vestram & exhortamur attentius, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus prout opus fuerit ipsis utentes, prudenter atque constanter circa singula procedatis, ante omnia & in omnibus cautè ac sollicitè providendo ut illam servent &c. *sicut in prima.*

Epist. 213. De negotio fidei.

*E I S D E M.*

**L**icet nobilis vir Guido Comes Alvernensis circa captionem venerabilis fratris nostri Claromontensis Episcopi germani sui graviter excessisse noscatur, quia tamen nulli veraciter pœnitenti debet venia denegari, precibus ejusdem Episcopi, qui super hoc nostro apostolatu supplicavit, inducitur, & zelo utilitatis ecclesiasticæ provocati, discretionis vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si hoc Ecclesiæ noveritis expedire, cujus negotium multipliciter posse per eum dicitur adversus hæreticos promoveri, præfato Comiti secundum formam ecclesiasticam absolutionis beneficium impendatis, & injungatis eidem quod talibus

Epist. 214. Ut absolvant Guidonem Comitem Alvernensem. Vide supra lib. 1. epist. 498.

K k ij